



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Tuscana Vidua. 14. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

*æreæ potestates* MARIÆ vocabulum, patrocinium & exemplum: pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. S. Bon. in spec. B. V.

## S. TUSCANA VIDUA.

14. Iulii.

**A**udite qui vestrâ jam expugnatâ, alienam oppugnatum itis pudicitiam; pugnae vestrae aleam ex aliorum fortunâ colligite. In TUSCANAM oculos sed castos conjicite; cui ad miraculum formosæ nihil è toto muliebri mundo ita ut virginitas placuit. Ergo ad nuptias nobiles imprimis adduci non potuit; trahi, cogi debuit. Et jam liberaverat longiore metu mors conjugis pavidam, cum amor infestus aliâ ex parte bellum intulit. Tres, qui sub Venere merebant, juvenes, impetum in ædes castissimæ facere, & diripere pudorem constituunt. Addit animos visâ TUSCANÆ forma, imò audaciam pudor proscriptus. Dum precibus illa pugnat, fenestra ordine proditores accipit. Sed ecce ut primùm princeps è hostibus intrat thalamum, cadit humo afflictus à malo dæmone. Eadem secundi, eadem tertii fortuna. Adsunt interea parentes, veniamque atque ad eò vitam victis à victrice TUSCANA exorant. Nam hæc precibus suis lacrimisque omnibus vitam infundit. Ergo à morte tergemini adolescentes surgunt, narrantque cum lacrimis, quibus illic suppliciis mulctetur Venus. Mox animos expiant, & jam victuri moriuntur. At TUSCANA tot periculis pudorem expositum videns, precibus



15. Julii. VITÆ SANCTORVM. 349  
precibus & assiduis jejuniis munivit, dum à præ-  
sentibus in morte Cœlitibus ad stipendia illis ver-  
bis est evocata: *Veni Sponsa Christi TVSCANNA, ac-  
cipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in ater-  
num.* Similem cupis Mariane? vincenti dabitur.  
Ex Ferrar.

*Omni studio cave tibi à corpore mortuo in incendio  
cupiditatis. Objice menti tuæ ignem illum inextinguibili-  
lem, & vermem illum, qui non habet finem; & carnis  
inflammatio confestim extinguetur.* S. Ephrem. de  
Exercitatione.

S. JACOBUS NISIB. E. 15. Julii.

**I**LLE JACOBVS est, qui Pontifex Nisibensis mira  
loppidò egit. Pauca è multis hæc habe. Contra  
jus & æquum sententiam nescio quis Judex tulit.  
Hic contra Judicem JACOBVS testem produxit  
saxum verbo in sexcentas partes diffractum. Sub  
aliud tempus hominem Divo objecerunt fictè  
mortuum. Ille precibus primò verò mori, tum  
precibus iterum non fictè fecit in vitam resurgere.  
Jam Saporì Persarum Regi urbem obsidenti, ita  
Numine volente, ex muro ipse Imperator esse est  
visus; mox in ejus exercitum ingens culicum  
agmen armavit, castrisque tam levi milite exiit.  
Illud non minùs lepìdum est. Lavabant ad fon-  
tem non Dianæ sed Veneres. Et facilè, ne Actæon  
fieret, JACOBVS oculis imperasset, sed aures invi-  
tas procax sermo & leno risus pulsabat. Succensus  
improbitati & suas fonti aquas ademit, puellis in-  
tempestivos canos addidit. Illicet ad horum aspe-  
ctum erubescere denique leviculæ, & lacrimis  
fontem velle reparare. Et hunc quidem restituit  
civibus Pontifex, at canos (quò cum his saltem